



173

1. B.

a

2. H.

J

3. c

1

Y. e

6

5. M

6. P

1

c a

7. S

G

L




Cod. R. 2. 2. 1. 1. 1. 1. 1.

Q. D. B. V.
DISSE
TATIO THEOLOGICA
EADEMQUE
JURIS ECCLESIASTICI
D E
Z I Z A N I I S
NON EVELLENDIS
ad Matth. XIII. 24. sqq.
SIVE DE
TOLE
RANTIA
DIVERSARUM IN EODEM TERRITORIO
RELIGIONUM
adversus
cel. Viri JO. PETRI BANNIZÆ,
Jcti Herbipolitani
nuperam de hoc argumento dissertationem,
quam,
P R Ä S I D E
CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIO,
S. Theol. Do&t. & Prof. Primario, Acad. Tubing. Cancellario,
Ecclesiæ Präposito, Abbe Laureacensi
ad d. XVIII. Nov. A. MDCCXXXVII.
defendet
M. JOHANNES FRIDERICUS VOLZ, Dornstettensis.

TÜBINGÆ impressit GEORGIUS FRIDERICUS PFЛИCKE.







Um ante aliquot annos ad verba Christi: *compelle ad intrandum* (a) commentariolum theologicum de tolerandis vel non tolerandis in religione dissentientibus scribebimus, ad stabiliendam mitiorem sententiam provocavimus quoque (b) ad oraculum illud Salvatoris, quo edixit, *non evellenda esse zizania usque ad tempus messis, sed permittendum, ut crescant cum tritico.* Habentur hæc Matth. XIII. 24. sqq. ubi exstat parabola de patrefamilias, bonum semen agro inferente, cui inimicus, dormientibus servis, interseverit zizania, quies viis hi quæsiverint à domino, num illa jubeat evellere, responsumque tulerint, quod jam expressissimum, & quo evulsio eorumdem messoribus in tempus messis fuerit reservata. Explicationem parabolæ adjunctam videoas comm. 38. sqq. Ager est mundus. Bonum semen sunt filii regni. Zizania sunt filii nequitæ. Inimicus, qui zizania seruit, est diabolus. Messis est consummatio seculi. Mefores sunt Angeli. Evulsio est damnatio æterna. Collectio boni se-minis in horreum est immisso in vitam æternam. Varia ex hac parabolâ sequi videoas porismata. Potiora hæc sunt. I. Ecclesia universalis tam pura est nunquam, ut malos non habeat admixtos. II. Extirpatio malorum universalis & totalis in hoc seculo fieri nequit, nec tentanda est, sed extremo reservanda judicio, & quidem III. has ob causas, quia 1. homines, non æquali omnes, nedum saniore prædicti judicio ex *ἀθλεψίᾳ*, ex incuria, ex inordinato zelo, pro sua quisque opinione, etiam falsa, extirpati essent subinde bonos malis im-mixtos (radicibus enim tritici immixta & zizaniorum radices subinde sunt, ut unis evulsi evellantur & alteræ) vel malos, qui resipiscere bonique evadere possent, quia 2. nec possibile nec consultum est, ita in omnes graftari malos, qui multitudine suā Ecclesiam occupant, & cum ipsorum internecione quidem graftari, cùm in furorem acti hi de-

A

incepſ

(a) Luc. XIV. 23. (b) p. 4. 13.

inceps sicuti quoque essent in bonos, jus talionis in ipsos exercituri. Non est, quod contra hæc porismata ajas I. non de Ecclesiæ, sed de mundo esse sermonem Christo juxta comma 38. Regnum quippe cœlorum nobis hæc parabolâ repræsentatur comm. 24. in agro mundi plantatum. II. nimium esse, quod innuant ista porismata. Secuturum inde, quod vellent Anabaptistæ, Sociniani & Fanatici, non competere Magistratui politico, facinoris peccatas irrigare capitales. Secuturum inde porrò, non excommunicandos esse graves peccatores vel hæreticos, omnemque disciplinam ecclesiasticam sic abrogandam esse. Objectionibus hisce jam ferè ivimus obviam. Jam enim per zizania 1. non intelliguntur facinorosi, quos gladius magistratus politici repletæ ferit Rom. XIII. 4. cum horum extirpatio non sit conjuncta cum periculo extirpandi etiam tritici. 2. Nec proscriptitur quoque hic disciplina ecclesiastica in peccatores graves vel hæreticos, utpote cum evulsione violentâ & internecione illorum haud conjuncta, sed ad ipsorum emendationem tendens, quæ potius, cum ex nimio & inconsulto zelo ac fervore, posthabitatis prudentiæ regulis, haud exerceatur, ad conservationem tritici facit. Hæc cum ita habeant, queritur IV. num ex nostro sequatur oracula, in religione dissentientes sive hæreticos non esse plectendos penitus capitalibus, sed tolerandos. Antequam ad rem ipsam accedamus, paucissimis præmonemus & nos cum illis haud facere, qui parabolam hanc propheticæ exponunt vel de periodo secundâ Ecclesiæ N. T. quam sub schema Ecclesiæ Smyrnensis putant in Apocalypsi (c) adumbrari, uti Petersenius (d), vel de reformatione Ecclesiæ, quâ eradicata per servos, per messores, per Angelos, per Reformatores fuerint Ecclesiæ corruptæ zizania, uti Vitrina (e). 3 absolum esse, per patremfamilias & dominum agri designatum velle Pontificem Romanum, quod post Maldonatum tra-

(c) Apoc. II. 8. sqq.

(d) in dem Gespräch zwischen Philalethä und Agathophilo von der Widerbringung aller Dinge P. 2. f. 55.

(e) in der Erklärung der Evangelischen Parabeln p. 152.

tradidit Ernestus de Eusebiis (f), refutatus à Dorscheo (g). 2. malè & per servos intelligi Angelos, quies vel quorum certæ specie interdictam voluerit Christus zizaniorum ante consummationem seculi eradicationem, à Beza & Mino Celso, quos heic refellit Thummius (h). 3. falsam quoque esse Pufendorfi (i) sententiam, qui putat, per messis tempus designari illam periodum, quam cuique sette divina providentia präfixerit. Difficilius determinatu est 1. num per zizania vel soli vel maximè intelligendi sint hæretici vel in religione à nobis dissentientes, 2. num per servos designantur magistratus politici vel soli Ecclesiæ ministri? Nisi enim utrumque demonstrari possit, vacillat nostrum, quod pro tolerantia in fide à nobis dissentientium ex hoc oraculo fundimus, argumentum. Quod prius attinet, largientibus Catholicis Justinus M. Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Euchymius, alii nobiscum sentiunt, qui per zizania hæreticos maximè designatos credimus, id quod observavit cum aliis Bebelius (k) observavit & Anonymus (l). Abludunt ab hâc sententiâ plerique Ecclesiæ Romanae & Reformatæ Theologi, qui per zizania impios in genere notatos putant. Vide Bellarminum (m) ex illis, Spanhemium (n) ex his, ex quibus nostram tamen sententiam defendit Heideggerus (o). Nec tamen & cum Pufendorfio (p) statuerimus, per zizania ipsa falsa dogmata innui, sed existimaverimus potius, horum fautores, doctores & propagatores hoc titulo venire. Ex ipsa quidem voce non est, quod extor-
queas

A 2

(f) in Judicio theologico super quæstionem: an pax, qualem desiderant Protestantes, sit secundum se illicita? Seft. 4. ad 2. Quis hic de Eusebiis sit, diximus in nup. diss. ad verba Christi dic Ecclesiæ p. 16.

(g) in anticrisi Theol. p. 218, und in der Entdeckung des blutdürstigen Urtheils Ern. de Eusebiis p. 237.

(h) de hæreticis non occidendis sed coercendis p. 10.

(i) in iure feciali divino §. 4. p. 18.

(k) in diss. de Zizanis ad h. l. p. 9. 10.

(l) apud Lüningum in den Europäischen Staats-Concilii P. I. f. 1391. 1398.

(m) de laicis L. 3. C. 22.

(n) in vindicis ad h. l. Opp. T. 3. col. 314. sqq.

(o) T. 3. diss. fel. 18. de conversione violentâ errantium §. 24. sqq. p. 739. sqq.

(p) de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem §. 49. p. 236.

queas quicquam, cùm generalem nimis inferat metaphoram. Observant interpres, nec Ebræam, nec græcam, nec latinam illam esse. Sunt tamen, qui à voce Ebræâ l'v illam derivent. Ita Lightfootus (q), cuius cum Guisio (r) adprobaremus sententiam, nisi r'v juxta Buxtorfium (s) designaret triticum degenerans, quod in nostro oraculo innui & hypocritas maximè innuere cum Brederodio & Vitringâ (t) existimat Hillerus (u). Certè Brederodius (x), sequente Scultero (y) existimavit, zizania idem esse ac *Brand-korn* si-
ve *ustilaginem*. Alii idem esse putant ac spicam vanam, Germanicè
trefzen. Rursum alii herbas agrestes tritico immixtas hîc querunt.
Jam verò *Zizania* peculiae habent, ex quo propullulant, semen, quod
hic sevit diabolus. Figuram lolii eius, ad formam tritici ascenden-
tis depictam vide à Scheuchzero (z), cui velim heic adjici & Ustil-
num (a). Spestat hûc locus Ulpiani, qui è Celsô in digestis (b) :
*si lolium aut avenam in segetem alienam injeceris, quo eam tu inquinar-
es, ut molestia sis separatio &c.* Sed jam diximus, ex voce zizanio-
rum nullam heic interpretationis nostræ demonstrationem excuspi pos-
se. Hæreticos verò maximè per zizaniam indigitari patet, quia hîc
eiusmodi innuuntur malitia filii, qui 1. extra Ecclesiâ non conspi-
ciuntur, sed demum in Ecclesiâ sati sunt. 2. diversi sunt ab iis, quos
leges civiles ob crimina civilia eradicandos censent, 3. è semine malo,
semini bono, quod est verbum Dei Luc. VIII. 11. contradistincto pro-
pullulavere h. e. erroribus in fide fuere inquinati. 4. non sine præci-
puo quodam boni seminis periculo Jes. LXV. 8. subinde eradicantur,
id quod certè in facinorosos non quadrat. Ita Gerhardus (c),
Thummius (d), Heideggerus (e). Ex quo intelligere est, quid

- (q) in hor. hebr. & Talm. ad Matth. XIII. 26. (r) in Kilaim C. I. §. 1.
apud Surenhusium in Mischna P. I. f. 109. (s) in Lex. Rabb. & Talm.
col. 680. 631. (t) I. c. p. 78-79. ubi & habetur nota d' Outeinii,
in eandem sententiam scripta. (u) in hierophytico P. 2. p. 119.
(x) in expositione germanica significationis vocabuli *Zizania*.
(y) in exercit. Evang. C. 65. (z) in der Kupffer-Bibel Abth. 4. tab. 682.
(a) in contin. hist. plant. Bibl. p. 151. sqq.
(b) L. 9. tit. 2. ad leg. Aquil. I. 27. §. 14. (c) de magistr. pol. §. 320.
sqq. (d) I. c. (e) I. c.

contraria valeant argumenta 1. Matth, XIII. 4. sqq. 19. sqq. per semen fructum haud ferens & 2. comm. 38. 41. per filios nequam & pâtratores iniquitatis & scandalorum designari utique impios omnes, haud evellendos totali internecione, cum periculo bonorum. Licet enim facile largiamur, & ex hoc Christo oraculo sequi, illos, quos gladius magistratûs politici propter crimina enormia & civilia haud ferit, internecioni haud tradendos, digitus tamen maximè in hæreticos à Salvatore intenditur, ut ostendimus. Unum est, quod addimus, id, quod de hæreticis veris hic adfirmatur, multò magis quadrare in hæreticos dubios & falsos. Certe, quis hæreticos in foro poli reus sit, authenticè decidere in foro soli nemo valet, ubi veritatem quisque se sequi credit & demonstrationis tam ambigua heic penes plerosque lux & sub judice lis anceps est. Prævidit diversas in sententias de fide abituros aliquando Christianos Optimus Maximus Salvator, &, si eradicaturi se invicem dissentientes essent, Ecclesiam in speluncam latronum degeneraturam. Huic malo positurus obicem legem hanc prohibitivam in Evangelio dedit, reprimere ut inconsultum male sapientium zelum, ostenderetque, esse hoc divinæ majestatis reservatum jus, sententiam authenticam in judicio extremo & dicendi & execundi. Sed, quæso, queisnam hanc tulit legem Salyator? Servis fâne, per quos primo loco notantur discipuli Christi, nimio fervore in delendos hæreticos alias proni Luc. IX. 54. sqq. secundo magistratus politici, ad eradicandos filios nequam alias constituti, id quod ad alteram quæstionem monemus. Si enim solis Angelis messoribus jus eradicandi in extremo judicio hæreticos competit, si divinum hoc reservatum est, magistrati sanè politico in hoc mundo id non competit. Itaque ergo tolerandi illi, nec evellendi sunt paenit civilibus vel capitalibus. Sed, quid, si excipiatur dissentiens, 1. eradicationem hæreticorum non esse simpliciter prohibitam, sed saltē rûm, quum id fiat cum periculo tritici. Nec 2. ex mandato de non evelendi sequi vel tandem nisi tolerantiam mera conniventæ, non sanè plenam & privilegiatam, quam hinc exsculpere conentur Protestantes. Ita Ern. de Eusebiis (f): *Non significant verba: spondete zizaniis absolutam*

impunitatem vel publici juris autoritate ea in agrum recipite, vel facite potestatem triticum opprimendi, vel ipsi in gratiam zizaniorum illud eradicare & zizania plantare, vel denique eodem pretio & loco utraque habete & æquali curâ custodite. *Quæ omnia contra mentem & præceptum cœlestis Patris familiæ hereticis (qui præcipue per zizania à SS. PP. intelliguntur,) à Catholicis ejusmodi pacem sancientibus sponte dentur & prestantur.* Quid si addat 3. & alius (g), tunc saltem non evellenda zizania, cum à tritico dignosci nequeant. Sed facilis responsio est ad 1. prohibitionem Salvatoris esse generalem, ex hoc statim capite, quia præviderit ille, fore, ut in dijudicatione tritici & zizaniorum tantoper olim errarent homines, loco zizaniorum vel cum zizaniis evulsum triticum. ad 2. verba textus esse planè emphatica; *finite utraque crescere usque ad tempus messis.* Eodem itaque modo ab evellendis zizaniis abstrahenda manus est, uti ab evellendo tritico, maximè, cum, si violentis modis eradicarentur dissentientes in fide nullaque ipsis subinde concederetur tolerantia privilegiata, excitarentur bella, ipsos quoque eradicatores internectioni datura. Id quod in homili. 47. in Matthæum egregie notavit Jo. Chrysostomus. Conferri potest, qui latius hæc diducit, Dorschæus (h). Denique siculneum est oppidò, dicere, cum saltem non evellenda zizania, ubi à tritico dignosci nequeant. Non prohibetur, quod per se non sit, nec possibile est. De ejusmodi zizaniis Christo sermo est, quæ dignoveret servi comm. 26. sqq. Fixum itaque esto, in fide dissentientes & hereticos esse tolerandos, plus minusve, prout ratio statu& circumstantiae suadent, prout & suader periculum ab intolerantia tritico imminent. Quæsiyeris fortean, quænam sit tolerantia genuina notio, cum vox sit ambigua. Jam vero hæc ipsa dum scribimus, sub oculos nostros labitur diss. Viri doctissimi, Jo. Petri Bannizæ, JCTi Herbipolitani de diversarum religionum in eodem territorio tolerantia ac receptione genericæ & speciali, in quâ C. 1. fuse & operose notionem tolerantia evolvit, quod jam ante ipsum fecerant Pufendorfius (i) & Boehmerius

(g) Cornelius à Lapide ad h. l. f. 286. (h) in anticrisi theolog. p. 215. sqq.

(i) in jure sec. dij. §. 4. s. 6. p. 17. sqq.

rus (k). Mirum, præstantissimum Virum ea de notione tolerantiae variâ hic tradere, quæ vel parum admodum ad institutum faciunt, vel ad rem præsentem ipse non applicat. Mirum, silere illum varias illas tolerantiae species, quas longo agmine recenset Bechmerus, re-censent alii. Ita tolerantia religionum est vel civilis vel ecclesiastica, & illa quidem vel plena vel restricta, vel debita ex lege, vel pacto vel promissione, vel gratiosa &, prout lubet, revocabilis, vel simplex vel privilegiata, vel publici vel privati vel domestici saltem exercitii. Vix omne hic punctum tulerit, qui sigillatim has tolerantiae notiones haud evolverit. Licet vero mentem suam de eâ tolerantiae specie, quâ gaudent Protestantes in Imperio, non expresserit Vir judiciosus, non tamen existimaverimus, eum, qui tantâ cum animi æquitate pro validitate & præstantiâ pacis religiosæ & Westphalicas pugnat, cum illic facere Zelotis, qui calumniantur, Protestantes in Imperio Romano-Germanico & tolerari saltem, & merâ quidem impunitatis tolerantiae, uti e. g. tolerentur lupanaria, Judæi &c. quam calumniam atro carbone haud ita pridem notavimus (1) C. 2. pergit Vir celebrissimus, & de tolerantiae genericâ diversarum in eodem territorio religionum verba facturus paucissimis p. 18. mentem effert, saniorem politicam diversitatem istam non facile debere aut posse admittere, quia turbis ansam præbeat. Miramus & heic, argumentum nobilissimum & diffusum paucis absolvi lineis, nec pro suâ evolvi dignitate, ponique thesin sine ratione sufficiente. Danda, quæ tolerantiam danda, qua intolerantiam suadent, & conferenda fuissent dissentientium argumenta, id quod pro modulo nostro in dissertatione sub initium civitatis haud ita pridem fecimus (m). Eundum porrò fuisset per omnes diversarum religionum species quærendumque, num & Athei, num Deistæ, num Judæi, num gentiles & idololatræ, num Mahomedani, num Anabaptistæ, Sociniani, fanatici tolerandi sint? Differendum fuisset de moralitate expeditionum cruciarum in infideles & hæreticos, de juribus conscientiæ errantis & errantium ab imperante tol-

ran-

(k) in diss. de tolerantiae religiosæ effectibus civilibus Halæ A. 1726. editâ & juri eccl. Prot. T. 4. p. 1001. sqq. insertâ atque contra Seizium defensa.

(l) adv. Philadejum Veronensem p. 45. 46. (m) p. 3. sqq.

rantiam postulandi, & , si in conscientiam ipsorum penitus senviatur, arma contra imperantem sumendi , quod Monarchomachorum principium est , in quo evolvendo & Waldensium & Belgarum & Reformatorum Gallorum & Hungarorum & Anglorum res hanc in rem gestæ ad trutinam legis & naturalis & Christianæ appendi debuissent. Sed sicco pede haec omnia prætervolare placuit eruditissimo Viro , qui & , cur nulla prouersus religio à Catholicâ abludens tolerari debet , haud sufficiente , ut diximus , ratione demonstratum it. Neque enim diversitatem religionum in eadem civitate per se turbas parere , tot exemplis , & quidem vel maximè exemplo Belgij federati constat , ubi flos commercii & rei publicæ à tolerantia religionum pender . Si diversitas religionum per se turbas in civitate pareret , pareret & in Belgio , sed has non parit heic illa , quia omnium dissidentium in religione animis alte heic infixa est sententia , quam sanior dictitat politica , libertatem conscientiis sartam tectam conservandam adeoque dissidentes in religione tolerandos , nihilque absurdius , nihil sanæ rationi , nihil Christianæ legi infestum magis esse odio religionis mutuo. Hoc principio , quod summa veritatis & æquitatis lux collustrat , posito , alta pax pervadit animos , & mutuos , quo in se invicem dissidentes feruntur , amor , qui utinam quoquo & nos Germanos demulceret nostraque aliquando occuparet pectora ! Sic enim & strepitus gravimum religionis quiesceret quantocuyus , & publica quoque Germania nostræ salus curaretur & promptius & solidius. Quid quod , si ad exemplum Belgij totus componeretur Christianus orbis , si plena conscientiis ubique constaret libertas , si principium universalis tolerantiae totius , quaqua patet , Ecclesiæ Christianæ permearet latifundia , (quod vero , stante Monarchia ecclesiastica , qua , teste experientia , in ipsa Ecclesiâ Catholicâ tot turbas intestinas excitavit haec tenus , fieri nequit ,) aureum Christianis redderetur seculum , quo , semotis omnibus religiosis bellis , semoto omni pravo unius religionis in alteram senviendi ambitu , dissonantes etiam in fide chordæ in bellam , in suavem , sed civilem , quæ sufficit , concurrent harmoniam & eurythmia politica eaque universalis , quam turbat inconsultus religionis zelus , hanc saltem quod attinet , modis planè admirandis stabilitetur firmareturque. Non enim considero aliter

alter Ecclesiæ inter se dissidentes ac Republicas liberas, quarum una alteri leges absurdè præscriperit, & unaquæque propriis & stat & cadit. Forsan ipse doctissimus Banniza pro eâ, quâ floret, ingenii perspicaciâ & æQUITATIS studio in meam vel tandem hîc transferit sententiam, qui sanè, quod prorsus egregium est, latissimè demonstrat, rectissimè Imperatores pacem & religiosam & Westphalicam cum Protestantibus iniisse, maleque exprobrâssæ Paulum III. Carolo V. Imp. quòd *falem in alienam messem immiserit*. Unum tamen & alterum est, quod notamus. Subiunxit Vir præstantissimus, pacem Westphalicam esse saltem provisionalem, tûm, quia addatur limitatio: *donec de religione aliter conventum fuerit*, tûm, quia jurisdicâ ecclesiastica saltem dicatur *suspensa*, non *sublata*. Nolim, tanto hæc urgeri opere. Etsi enim prior limitatio exstet in I. P. art. 5. §. 1. 14. 25. 31. 48. subjungitur tamen §. 14. si de religionis dissidiis amicabiliter conveniri non possit, nihilominus hæc conventione perpetua sit & pax semper duratura. Hinc non licet pacem Westphalicam hoc prætextu reddere dubiam art. 5. §. 50. Est enim hæc transactio perpetua lex & pragmatica Imperii sanctio juxta art. 17. §. 2. & Monast. art. 16. §. 112. ipso vel tandem cel. Viro p. 61. 62. fatente, in pacificationibus hucunque factis quoque repetita. Etsi & *suspensa* saltem dicatur jurisdicâ ecclesiastica Episcopalis in Protestantes, quæ verò & aliquando *sublata* dicitur art. 13. §. 8. haud tamen perspici potest, quâ *suspensio perpetua* & *sublatio* admodum differant. Jam enim, cùm spes compositionis amicabilis in causa religionis probabilitate careat prorsus, & nec Pontifex nec Ecclesia Romana nec Protestantes de fide suâ quicquam remissuri unquam sint, symbolis publicis stabilitâ (n), conditio impossibilis vel haud implenda unquam pacem ipso facto reddit perpetuam, & jurisdictionem ecclesiasticam tollit prorsus (o). Duriora adhuc sunt, quæ p. 32. Vir celeb. scribit, decisisse Innocentium X. bullâ protestari adversus pacem Westphalicam, eamque sic irritare, ne, quæ in præjudicium potestatis & Ecclesiæ Apostolice nec non Catholice religionis heic gesta,

B

(n) Hinc & in vanum hacenus laboravere scriptores irenici, quorum in conciliandis Catholicis & Protestantibus calamus fuit occupatus. Vide nostram in historiam Theologia literariam introductionem P. 2. p. 156. seqq.

(o) Vide hic ill. Zechium in medit. de jure reformati p. 215. seqq.

gesta, pæta atque Cæsaris & Catholicorum Statuum COACTO consen-
ſu firmata aut POTIUS VULNERATA erant, aliquando ex eo capite
in consequentiam trahi posse, quasi hæc preſente Apostolica ſedis Le-
gato actitata probataque fuiffent, ſed ut eatenus tanquam res inter
alios acta pro NULLIS haberentur. Si decuit Innocentium X. prote-
ſtari contra pacem Westphalicam, ſi pax hæc in prajudicium tertii,
Ecclesiæ nempe Romanæ injuſtè vergit, ſi conſensu Cæsaris & Sta-
tuum Catholicorum coacto omnia fuere geſta, & potius cauſa vulnera-
ta, quam firmata, ſi nullitat̄ vitio laborat pax Westphalica, qui ita-
que validam, qui legitimam, qui rationabilem illam in antecedenti-
bus pronunciare potuit Vir celeberrimus? Contradictionis vitio hæc
allecta laborant, ſed & manifeſti erroris. Jam enim i. nihil actum
fuit in pace Westphalica injuſti contra ſedem Romanam, cuius præ-
tenſa jura (p) nec Protestantes agnoscunt, nec ſummi Pacientes
agnovere, nil contra Catholicæ Religionis vel Ecclesiæ jura, à cuius
quip-

(p) Testor h̄c conſientiam illorum, qui leges interpretandi nōrunt & qui
ſine partium studio dijudicare nōrunt, num ex Matth. XVI. 18. 19. Joh. XXI.
15. 16. 17. exculpi poſſit Epifcopi Romani in univerſam Ecclesiā Chri-
ſianam ſuprema jurisdictione. Non eſt poſſibile, ut, qui, remotis prajudi-
ciorum avitorum confiſciliis, oracula hæc ſacra contemplatur, in illis jura
videat ſtabilita Epifcopi Romani. Sed nec humano jure antiquo illa ipſi
competit, cum in Concilio Niceno C. 6. jurisdictione illi ſaltē tribu-
tur in Ecclesiæ ſuburbiciariæ ad Dioceſin ſpectantes Romanam, eo ferē
modo, quo I. P. jubet, ut Jus dioceſanum Epifcorum Germanorum in-
tra territorii, quo gaudent, ſe contineat limites. Merē itaque spontanea
eſt ſubmiſſio illa, qua & Imperator Auguſtilloſus & Principes Catholici &
Epifcopi Imp. Germ. Romanam ſedem venerantur, concordari quidem na-
tionis ſtabilita Germanicæ, fed egregie revocabiliſ, ſupponente hanc revoca-
bilitatem ipſo P. L. Monast. art. 16. §. 113. Epifcopi fane Germani ex ve-
teri jure, quod laudavimus, Romano & dignitate & jurisdictione æquales
ſunt, ut mirum fit, quod jugum illius nondum humeris decuſſerint, qui
& deinceps patientur facile cum Protestantibus, ut suas Romæ res ſibi ha-
beat Pontifex, ſuāque

ſe jaſſet in aula

Aioliſ & clauſo ventorū carcere regnet.

Hem verò, quantā animi alacritate intraremus jam hunc diſputationis, quā
ad amulium diſte demonstraremus, campum, ſi nota brevitas, ſi præfens
noſtrum id ferret iſtitutum.

quippe determinandâ veritate vel falsitate abstraxere iidem (q), cuius veritatem & inficiantur Protestantes, iura ista & hanc ob causam nunquam agniti, sed ad propria potius hic provocantes, cùm Ecclesiæ ad alia transiuntis sacra sua tamen jura, sua bona farta recta mancant, nec coacta fuit pax metuve injusto extorta, libertati conscientiarum debita torque deliberationum per complures annos liberè agitatarum factus, licet armis Protestantium partus, quæ tamen non inferunt vitium valori pacis, ut, si hoc dixeris, omnes ferè pacificationes redderentur invalide, quod absolum, nec vulnerata heic fuit vel Ecclesiæ vel Imperii Germanici causa, sed extra ulterius posita periculum, ipso fatente doctissimo Banniza, nullo itaque nullitaris vicio laborat pax Westphalica, quod & asserere nefas est juxta art. 5. §. 50. ubi injungitur, ne quisquam impugnet illam vel dubiam faciat. Velim, ut familiaria heic sibi reddant lectors, quæ bullæ Innocentianæ reposuere ex Reformatis Blondellus (r) & Hoornbeekius (s), ex nostris Conringius (t) atque Carpzovius (u), quæ & Ernesto de Eusebiis reposuere Dor-schæus, Theologus Argentinensis (x), Carpzovius idem (y) & idem Conringius (z), quæ porrò de moralitate hujus pacis scripsit Car-
muel (a) in Anti-Caramuele (b) licet refutatus, quæ denique &

B 2

Burg-

(q) facente & cel. Bannizâ p. 31.

(r) Hie enim sub Amandi Flaviani nomine edidit Eleutheropoli de fulmine nuper ex Exquiliis vibrato commonitorium, quod Gallico idiomate additum deinceps fuit ejusdem Blondelli libro: Actæ authentiques des Eglises Reformées. Amsterdam. 1655. 4.

(s) Edidit hic Examen Bullæ papalis, quæ Innocentius X. abrogare nititur pacem Germanie. Ultrajecti 1653. 4.

(t) Habetur hujus animadversio in bullam Innocentii X. quæ librum secundum conficit de pace civili inter Imperii ordines religione dissidentes perpetuo conservandâ. Opp. T. 2.

(u) Extant hujus sub nomine Ludovici de Montesperato Vindicia pacis Osna-brugenesis & Monasteriensis Londini 1653. 4. Germanice quoque editæ.

(x) Varia præstantissimi Theologi hanc in re scripta extant, quæ recensita videoes ab Hoffmanno in Bibliothecâ juris publici p. 266. 267.

(y) in discussione brevi judicij theologici Ern. de Eusebiis. 1648. 4.

(z) in libro primo supra nominato.

(a) Prodiit Caramuelis pax S. R. Imp. licita Vienna 1648. f.

(b) Humani Erdemannii Oeconomontani 1648.

Burgkardo & Dillingensibus certatim reposuere nostrates (c). Tace-
mus, ne prolixiores justo simus, quæ p. 36. dicuntur de doctrinis
continuâ serie inde à Christo traditis, sed à Lutherô impugnatis, item,
quod de Lutherô affirmatur, Christianam illum vivendi doctrinam &
sacra & jura & bona ecclesiastica liberaliter condonâsse, tacemus &, in
miras seelas p. 40. dividi Ecclesiam nostram Evangelicam, quas
nemo nostrum novit, in cerebro utpote obscuri & fabulosi scriptoris
Caspi Ulenbergii (d) natas, eoque tacemus facilius, quod omnia
hæc & singula veritati & veteris & recentioris historiæ ecclesiasticæ ē
diametro adversantur. Movet deinceps Vir doctus p. 42. quæstionem:
num religio Catholica in Imp. dici tolerata possit? quam negat, quia
expressa verba pacis Westphalicæ ferant: salvâ per omnia religione Ca-
tholicâ, quia eadem in pace religiosa vocetur antiqua, quia denique
jurisdictio ecclesiastica per I. P. non sit sublata, sed suspensa saltem us-
que ad tempus amicabilis compositionis, atque hinc arguit, solas ita-
que religiones Evangelicam & Reformatam toleratas posse dici. Jam
verò 1. verba illa: salvâ per omnia religione catholicâ, non exstant in
I. P. nec locum quoque allegare valuit Vir doctissimus. Et, si exstan-
tent, non sumi possent in sensu absoluto, qui totum I. P. subverte-
ret, sed salvis saltem salvandis & salvabilibus, adeo in sensu juxta
I. P. restricto. Sed & 2. religio catholica in pace religiosa eapropter
saltem antiqua dicitur, quod ante Evangelicæ noviorem plantationem
obtinuit. Reformatio enim Ecclesiæ corruptæ hæc, quæ prior utique
est & antiquior, posterior quidem est, nec tamen hanc ob causam no-
vorum dogmatum insimulanda, si è scripturis sanctioribus, si è præ-
stantioribus Ecclesiæ antiquissimæ monumentis probare illa eadem va-
leat. Erroris certè antiquitas errorem non purgat, uti nec novitas ve-
ritatem vel errorem arguit. Egregiè Cyprianus (e): *Consuetudo sine
veria*

(c) Vide indicem Scriptorum huc pertinentium ab eodem Hoffmanno datum
I. c. p. 167. sqq.

(d) cuius exstat liber de vitâ, moribus &c. Phil. Melanchthonis, Matthie
Flacii, Georgii Majoris & Andr. Ofiandri Colon. 1622. 8.

(e) epist. 24. ad Pompejum contra Stephanum Episc. Rom. f. 141. edit.
Baluzianæ.

veritate vetustas erroris est. Et Firmilianus (f) : *Quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem preferat, aut, qui perspecta luce, te-nebras non derelinquet?* Nisi & Iudeos, Christo adventante, id est veritate, adjunxit in aliquo antiquissima consuetudo, quod reliquit novam veritatis viam in vetustate permaneserint? atque iterum Cyprianus (g) : *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.* Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Quaenam denique, de suspensa saltem ad tempus jurisdictione ecclesiastica adjecta videoas, supra (h) jam profligavimus. Hisce suppositis in argumentis prolatis nullus est nexus. Si salva esse debet religio Catholica in iis, in quibus illam voluit salvam I. P. si antiquior illa quidem est, respicendo ad tempus reformationem sacrorum proxime antecedens, non vero ad primas Christianismi origines, a quibus juxta mentem Protestantium abludit, si suspensa in Protestantes est jurisdictione episcopalis, sola illa minus tolerata dici debet, religio vero Protestantium saltem tolerata. Ut taceam, exaltam multaque religionum in Imp. Germ. canonistarum aequalitatem art. 5. §. 1. stabilitam haec jugulare, quam vero inficiari nefas est. Ast vel tandem & contra umbras heic pugnat Vir doctissimus. Non toleratur saltem in Imp. religio catholica, sed suo proprio jure civili in eodem gaudet, uti Religio Evangelica & Reformata, nisi, quod ipse fateatur, iis in locis, ubi A. 1624. non obtinuit & evasit quidem peculiari beneficio religio dominantis, sed non dominans. Jam vero, cum p. 47. fqq. ad argumentum delicatum quidem illud & arduum, sed & nobile de jurisdictione Principis catholici in subditos Protestantes dilabitur Vir consultissimus, quamquam, quasumus, optandum fuisset, ut pro ea, quam floret, eruditioris rioris fecunditate & lectionis amplitudine plenam heic argumentorum tum pro affirmativa tum pro negativa militantium sententiam aciem intruxisset idem, atque juxta methodum J. Ctorum receptam, egregiam illam, per rationes & dubitandi

B 3

&

(f) in ep. ad Cyprianum contra Stephanum, ibidem f. 149.

(g) epist. 63. ad Cæciliūm l. c. f. 108.

(h) p. 9. Mitiore suspensionis voce uis videtur summi Pacientes, in termino exhibitu faciliores, cum in re convenienter.

& decidendi succinctā ivisset scriptione, majorem sanè dissertationi prolixitatem, recisis, quæ eandem amplificant, heterogeneis haud allatū. Constat, quantis animorum motibus hoc ipso, quod agimus, seculo hæc controversia à Viris doctis, ex quorum penu plenis cyathis hauriri poterant heic dicenda, fuerit decertata. Enarrabimus in gratiam lectoris autores, qui pleniū (cæteros enim facile tacemus) hanc quæstionem tractavere. Ita pro affirmativâ militant Anonymi Hildesienesis (i), maxime Zimmermannus (k), Rittmeyerus (l), Moserus (m), quem verò mutasse vela, prout ~~seu~~^h ~~liber~~^o subinde ~~ad~~^o ~~ver~~^h sunt, jam credimus, pro negativâ Anonymus alius (n), Riccruntus (o), Thomasius (p), Hertius (q), Lynckerus (r), Boehmerus (s), Mejerus (t), Wildvogelius seu potius Hornigius (u)

(i) apud Hoffmannum in Bibl. juris publici p. 317.

(k) in vindiciis Hildesienibus sparsim.

(l) in vindiciis juris reformandi, Confluentie 1703. f. editis C. 5.

(m) in der auf das allerbſt gegründeten jurisdicitione Ecclesiastica Catholischer Landes-Herrn über ihre Protestirende Unterthanen ervißen von Sincero 1726. 4. & in notis ad librum Mejeri : Gesetz-mäßige Beantwortung &c. Exstant hac in collectione einiger Schriften von der geistlichen Gerichtbarkeit derer Catholischen Landes-Herrn über die in ihren Landen befindliche Evangelische Unterthanen Leipzig 1728. 4. Adde ejusdem Moseri compendium juris publici p. 461. seqq. & Reichs-Eamam 1727. Jan. p. 95. seqq. Febr. p. 204. seqq.

(n) in consilio A. 1696. dato qu. 3. Inseruit id Hertius libro mox laudando f. 116. seqq. refutavere verē & Rittmeyerus & Moserus in libris citatis.

(o) ad Schützii manuale pacificum qu. 21. Quis hoc sub nomine lateat, edixit Theatrum Pseudonymorum Placcianum n. 454.

(p) in anti-vindiciis Hildesienibus sparsim.

(q) in tr. de jure reformandi f. 170. seqq. (r) Consil. 154. f. 836. seqq.

(s) in consult. jur. P. 1. resp. 16. f. 177. seqq.

(t) in der Gesetz-mäßigen Beantwortung der Frage : ob ein Catholischer Landes-Herr in Teutschland die jurisdicitionem Ecclesiasticam über die in seinem Lande befindliche der A. C. verwandte Unterthanen zu exerciren befugt seye, und in der Gesetz-mäßigen Vertheidigung diefer Frage, qua duo scrip̄a itidem in laudatā collectione extant. Autorem esse Jo. Gottofredum de Mejern patet ex ejusdem præfatione ad P. 1. Aetorum pacis Westphalice f. 8. ubi memorat, hanc ipsam scriptiōnem collectioni eorundem occasio-
nem præbuiſſe. Spectant & huc die kurtze Beleuchtung & die unparthey-
ische

(u) ill. Zechius nostras (x) Eftor (y). Non est nostrarum partium, tantas componere lites & vel juribus Principum vel subditorum, Catholicorum vel Protestantum derogare quicquam, quod I. P. largitur. Dabimus tamen paucis atque in nervum constringemus argumenta cel. Bannizæ, quibus affirmativam demonstratum it. Putat autem ille, jurisdictionem ecclesiasticam Principibus Catholicis in subditos Protestantes denegari nullatenus posse, 1. quia originariè è superioritate territoriali effluat, 2. quia, *cujus sit regio, illius etiam sit religio*, 3. quia, suspensa jurisdictione episcopali transeat ad Dominum territorii, quæ in subditos, jurisdictionis incapaces, cadere nulla possit, 4. quia magistratui jure divino competat gladius, *ut sit Dei minister, vindicans in iram ei, qui male agat* (z). 5. quia Princeps Catholicus id tantum heic agat, quod novâ lege receptum & ad certas temporis moderni aut futuri conditiones ac regulas tolerandum mutuò statutum sit, 6. quia conductibilius id sit religione Catholicæ, cavendum quippe esse, ne populus in plenam credendi licentiam & religionem planè novam abripiatur, in Imperio Romano planè non tolerabilem, 7. quia I. P. & Principibus A. C. in subditos alterius religionis omnia illa afferat, quæ contra salvam religionem Catholicam extra potestatem in animam concedi potuerint, hanc enim potestatem in animas Catholicorum, quæ à jurisdictione ecclesiasticâ in res & personas diversa sit, Episcopis Catholicis nunquam ablata esse in I. P. nec suspensam quoque. Fricemus, si placet, paululum has aristas. Et 1. quidem miratur valde, Virum doctissimum, qui p. 53. seqq. prolixè probat, magistratibus laicis, quæ & communis Catholicorum mens est, nîl circa negotia ecclesiastica juris competere, ex fontibus

Prote-

ische Gegeneinanderhaltung &c. Vide Fabri Staats-Cantzley p. 47. p. 359. seqq. p. 48. p. 387. seqq. p. 49. p. 482. seqq. p. 53. p. 122. seqq. p. 54. p. 162. seqq. & Mülleri Historisch-Juristische Electa über die Staats-Geschaffte p. 2. C. 3.

(u) in diff. de controversâ jurisdictione ecclesiasticâ Principum Imperii in diversâ religionis subditos Jenæ A. 1728. editâ.

(x) l. c. p. 167. seqq. 208. seqq.

(y) in delineatione juris publici eccles. Protestantium C. 14. p. 174. seqq. p. 223. (z) Rom. XIII. 4.

Protestantium heic sapere & jurisdictionem ecclesiasticam à superioritate territoriali derivare. Crederes, calatum esse Jcti Protestantis, qui hæc pingat, & juri canonico & principiis Catholicorum è diametro contraria (a). Laborat verò & ipsa hæc sententia, quæ tamen à doctribus Protestantibus non ubique recepta est (b), insitis suis difficultatibus, quas nescio num prorsus haud animadverterit Vir præstantissimus. Si ad superioritatem territorialem vel majestatem quæ tam originariè spectaret jurisdictione ecclesiastica, peccasset sanè Apostoli primique Christiani, illam usurpando, jus majestatis sic violaturi, peccarent Episcopi Catholicli illam sibi vindicando, utpote ad jura magistratus pertinentem politici, peccasset Hosius, Episcopus Cordubensis, cuius tamen verba ad Constantinum M. dicta approbat Vir doctissimus p. 55. *Define, queso, Imperator, ne te misceas ecclesiasticis.* Qui enim jurisdictionem ecclesiasticam exercet, utique ecclesiasticis se immiscet. Quinimò, si è superioritate territoriali efflueret illa, vindicare eandem sibi & in subditos Catholicos & possent & deberent Principes Catholicli. Jam verò, cùm Apostoli, cùm primi Christiani jurisdictionem exercuerint ecclesiasticam, quam confederata adeoque conventionalem disciplinam dixit Tertullianus (c), facile patet, si ad illius ascendum origines, jus hoc non esse majesticum vel territoriale, sed esse jus Collegii, jus societatis ipsius ecclesiastice, uti dudum demonstravimus (d), ita quoque, ut Viri ex nostris præstantissimi sententiam nostram passim adoptaverint (e), ex quibus ill. Zechium (f)

(a) Notorium est, quod hic scribimus. Vide faltem loca juris canonici & Bellarmini ab Hornigio cumulata l. c. p. 10. Sed & innumeri autores Catholicli allegari hæc possent, si opus foret. Unum tamen citamus Ernestum de Eusebii, qui l. c. sect. 3. n. 5. p. 14. candidè heic mentem suam exprimit.

(b) Vide faltem ill. Boehmeri præloquium ad T. 5. Juris eccl. Prot. §. 5. sqq. (c) in Apologetico C. 2. Vide cel. Boehmeri diff. 3. de confederata Christianorum disciplina, in jure ecclesiastico antiquo.

(d) C. 4. de originibus juris ecclesiastici.

(e) Vide diff. de jure facrorum ab soluto & collegiali, illo in superioritate territoriali, hoc in Ecclesia tanquam collegio quarendo, adiectam secundæ editioni juris ecclesiastici, quod scripsimus.

(f) h̄c saltem nominamus. Hinc nec ista nos ferit objectio, quā causari quis possit, si jurisdictio ecclesiastica ē superioritate territoriali non effuat, malē & Principes eandem Protestantes sibi arrogaturos esse. In hos quippe transfudit illam societas ecclesiastica, uti dudum (g) diximus, nunquām sanē ab eādem in Principes diversē transfundendam fidei, quod itidem & suo monuimus loco (h) & rei natura poscit. Sed sit ita, pertineat ad superioritatem territorialem jurisdictio ecclesiastica, non quadrare tamen illa videri possit in Principes Catholicos, quos à negotiis ecclesiasticis sub pœnā excommunicationis abstrahit jus Canonicum, quos salvā conscientiā eandem ad mentem A. C. quam damnant, eorumque, quos putat hæreticos, exercere atque gregibus sacris Pastores lupos & latrones, animas falsis doctrinis suis perdituros praeficere posse, comprehendi haud potest, qui & eandem nec in pace religiōfā, nec in Osnabrugensi, nec in recessibus Imperii sibi unquam stipulati sunt (i), queis denique I. P. eandem tān non arrogat in subditos Protestantes, ut derogare illam iis potius videatur, nī quidem eandem A. 1624. in illos exercuerint art. 5. §. 48. ubi disponi videoas, quōd *Catholicorum* in genere adeoque rūm Episcoporum cum Principum A. C. additti *Status provinciales & subditi*, qui A. 1624. ecclesiasticam eorundem (k) jurisdictionem agnoverint, in iis modo casibus illi subesse debeat, qui A. C. nullatenus concernant. Ex quo utique pleno fluxerit alveo, quod, qui eandem in anno regulativo planē non agnoverint, & nunquām & nullatenus illi subiecti sint, & quōd ratione jurisdictionis ecclesiasticae in genere annus regulativus sit observandus. Jam & art. 13. §. 8. cautum est, ne Episcopus Osnabrugensis Catholicus, licet superioritate quoque territoriali gaudeat, quicquam sibi juris in A. C. sacra arroget vel obtineat. Resticta itaque quoad hoc caput in I. P. fuerit Principibus Catholicis

C supe-

(f) l. c. p. 55. sqq.

(g) in libris citatis. (h) in diss. cit. p. 550. sqq.

(i) Scitē hoc observat Estor l. c. p. 177.

(k) Certē de jurisdictione ecclesiastica magistratus Catholicī h̄c agi nota Buckisch ad I. P. p. 371.

superioritas, quā gaudent, territorialis. Unde & , quod ad secundum cel. Banniza argumentum monemus, effatum illud, quōd, *cujus sit regio, illius etiam sit religio*, nonnisi cum grano salis, quod I. P. adspexit, admitti potest. Monent sapientes, in demonstrationibus adhibendas esse notiones determinatas, non vagas. Jam verò dicterium hoc, quod utique antiquius est reformatione (1), quo usi sunt ante pacem Westphalicam Protestantes Principes, reformationem Ecclesiæ ut innuerent sibi tanquam Principibus competere, quo utuntur hodie Principes Catholici, ut demonstrent, coexercitum religionis Catholice simultaneum se in territoria sua introducere posse, tām vagum est, ut diversos, ut plures admittat sensus. Si sensus sit, Principi, cuius est regio, absolutam in religionem subditorum potestatem tribuendam esse, ipse cel. Vir damnaverit mecum tām *Fogtiūnā*. Si mens sit, Principi supremam in Ecclesiam, uti in societas quasvis alias in territorio suo natas, inspectionem competere, cauturo sic, ne quid heic agatur vel publicæ salutē vel I. P. vel legibus receptis contrarium, nemo est, qui veritatem hujus in dubium vocaverit asserti. Si verò innuat dicterium, quōd Princeps, abolitis prioribus sacris, nova substituere possit, reclamaverit heic I. P. quod statuta anni regulativi sartum rectum vult. Si denique eodem jurisdictione ecclesiastica ejus esse dici amet, cuius sit regio, nā mehercle elegantem principii petitionem hic commiserit & idem ex eodem perverse probaverit vanus, qui ita arguerit, demonstrator. Credideris, dieis gratiā ursus hoc effatum cel. Bannizam, qui fortean feliciter provocaverit ad I. P. Osnabr. art. 8^o §. 1. & Monaster. art. 9. §. 1. ubi *Electoribus, Principibus & Statibus Imperii liberum juris territorialis, tum in ecclesiasticis, quam politicis adscribitur exercitum*. Itaque ergo, sic haud abs ratione dixeris, jus territoriale versatur quoque circa ecclesiastica. Fateor speciem argumenti. Sed aliud est jus reformandi, quod & ipsum, ex superioritate fluens territoriali, circa ecclesiastica versatur, alia jurisdictione ecclesiastica.

(1) Vide Deckherrum in consult. for. de pace religioni dñjā C. 28. & ill. Zeichn. l. c. p. 236. Adde Rechenbergii diss. an *cujus sit regio, illius sit religio?* diss. hist. pol. P. 2. n. 21. §. 1. p. 617. & Hertium de jure reformati. l. 31. 32.

ecclastica. Jus reformati est jus sacrorum absolutum, quod vocamus, sed politicum sicutem, consistens in inspectione generali eaque politica in Ecclesiam, qua ut diximus, cavit Princeps, ne in Ecclesia, quae sub ipsis ditione est, agatur quicquam, quod saluti publicae, civili illi, quod Instrumento pacis, quod legibus receptis sit contrarium, quod immutet in specie statum regulativi anni, quâ per consequens idem reformat & tollit gliscentes abusus, prospictrique, ne ab iis, qui jurisdictionem administrant ecclesiasticam, vel simonia vel nepotismus vel tyrannis exercetur ecclesiastica, quâ denique alias sectas, quas non tolerat I. P. si exercitium religionis publicum &, quae ipsis non competit, affectent privilegia, si pacem quoque turbent publicam, è territorio suo idem exigit, juxta I. P. art. 5. §. 30. (m) Patet ad oculum ex hac definitione, jurisdictionem ecclesiasticam à jure reformati qui distinguamus (n). Si in I. P. Osn. art. 8. §. 1. & Monaster. art. 9. §. 1. per ecclesiastica intelligeretur jurisdictione ecclesiastica, sane & Principibus Catholicis concederetur eadem in catholicos quoque subditos, & Episcopis in Protestantes. Prius Catholicorum nemo dixerit. Sed nec posterius dici potest, cum I. P. jurisdictionem Episcoporum ecclesiasticam prorsus suspensum in hos velit art. 5. §. 48. imò sublatam subinde ajat art. 13. §. 8. Scitè hæc observarunt Boehmerius (o) & Mejerus (p). Itaque ergo in locis citatis non intelligitur nisi reformati jus, quod definitivus. Documento esse possit art. 5. §. 39. ubi jus reformati exercitium religionis Casare & Majestati, uti alii Regibus & Principibus adscribitur, nullam sane jurisdictionem ecclesiasticam innuens, quam nec sacratissimus Imperator, nec Reges ulli Catholici exerceant unquam, cum nec advocatio illa civilis, quam Ille quidem & in Ecclesiis gerit Protestantes, nec Directorium Saxonum in Corpore Evangelicorum quicquam sapiat Ecclesiastici.

C 2

(m) Confer hic den Ungrund des Simultanei §. will man aber.

(n) Velim hic prorsus conferri Mejerum in der gevez-mässigen Vertheidigung §. 32. sqq. Collect. p. 103. sqq. & ill. Zechium l. c. p. 130. sqq.

(o) in consult. Jurid. P. 1. f. 180. 181.

(p) l.c. §. 36. Collect. p. 110. sqq.

siasticæ jurisdictionis. Sed quid quæso, ad tertium cel. Bannizæ argumentum dixerimus? Si Princeps Catholicus in terras successerit Protestantes, jurisdictione suspensa Episcopali, ecclesiasticam sanè vindicare sibi non poterunt subditi, in quos nulla jurisdictione cadit, sed opus est, ut ad Principem illa redeat. Paucis dicam, quid hic repositurus sit dissentiens. Et 1. quidem laudes iste scriperit judicissimo Bannizæ, quod hoc in casu non ajat cum aliis Scriptoribus Catholicis, jurisdictionem Episcopalem reviviscere, quam sententiam, I. P. è diametro contrariam, prosligârunt Viri ex nostris doctissimi (q). 2. dixerit idem, jurisdictionem ecclesiasticam originariè conventionalem esse, ex pacto oriundam, quo societas ecclesiastica disciplinam heic exercendam confederaverit, prout & civiles in Republicâ societates ejusmodi leges conventionales, permittere magistratu, sibi condunt. Ita & quidem egregiè Boehmerus (r). Addiderit 3. ipsum P. I. jurisdictionem hoc in casu tribuere subditis art. 5. §. 31. ubi Statuum Catholicorum Landaffiis, Vasallis & subditis exercituum religionis adscribitur cum annexis, cuiusmodi & sit institutio Consistoriorum & ministeriorum tam Scholasticorum, quam Ecclesiasticorum, quatenus illa A. 1624. vel ipsi exercuerint vel exercita ab aliis, Principibus nempe suis Protestantibus, probare possint. Si subditi Protestantes instituere Consistoria possunt, sanè & jurisdictione in illos cadit ecclesiastica (s), non tamen prorsus independens illa, cùm Princeps, Catholicus licet, inspectionem civilem in eam gerat semper, eo, quo supra diximus, modo. Quod ipsum tamen non impedi, quò minus Consistoria hæc Evangelica jurisdictione gaudent ordinariâ, non delegatâ, quod observant Viri doctissimi (t). Quarta ratio Viri docti ex pandectis petita divinis, prolixâ iphius pace hoc dixerimus, prorsus nulla est, cùm gladius ille, de quo

(q) Schwederus nostrâs in diss. de pacis religiosa constantiâ & perpetuitate §. 45. disp. T. 1. n. 23. p. 1183. sqq. & in Consil. Tubing. Vol. 6. f. 92. 95. sqq. Müllerus in diss. de iure episcopalis in terris Protestantium à Romano-Catholicis injustè prætentâ reviviscentiâ & ill. Zechius l. c. p. 222. sqq.

(r) l. c. f. 181. (s) Vide Boehmerum in jure eccl. Prot. T. 1. p. 617. sqq. & Zechium l. c. p. 192. sqq.

(t) Boehmerus l. c. p. 640. 641. Hertius de jure reformati f. 144. 145. & ill. Zechius l. c. p. 200. 199.

quo Paulus , non sit ecclesiasticus sed civilis , civilemque & criminalem , non sacram indigitet jurisdictionem . Id quod cō certius est , quōd de magistratu gentili hæc effert Apostolus , sub quo Romani , ad quos scriptit , tūm vixerē . Ad quintum argumentum reposuerimus , 1. propria vineta cädere eruditissimum Bannizam , ubi ad novam heic legem provocat , qui jurisdictionem ecclesiasticam antea ex superioritate deduxerat territoriali . 2. novitatem legis ipsius non purgare in justitiam . 3. novam hanc legem in I. P. scriptam prorsus haud repetiri , sumique hīc , quod sit in quæstione , 4. nec dici quoque tolerari id saltem , quod suo jure , utpote ex superioritate manans territoriali , obtinet . Dicitur non semper memor esse videtur Vir præstantissimus . Sexta ratio eapropter haud stringit , quia 1. id , quod conductibile est , non statim & legitimū est , quia 2. *conductibilitati* religio-
nis catholicae *conducibilitas* Evangelicæ eodem jure opponi potest , quia
3. à jurisdictione ecclesiastica Principis Catholici in subditos Protestan-
tes insignia prorsus & maxima metueris pericula , cùm nulla illi metu-
enda sint , minus eandem in hos exercentis . Quid enim , si , licet ad il-
lam juxta A. C. legesque receptas administrandam obligatum se esse
profiteatur , limites migrer ille , gravamina suscitaturus ecclesiastica ,
quæ hinc manare innumera tristis experientia clamat . Quid , si saltem
indirectè lēdat jura religionis Evangelicæ , si justa etiam desideria sub-
ditorum heic sufflaminet , si ministeriis ecclesiasticis & scholasticis præ-
ficiat homines indignos , scandalosos , mercenarios , simoniacos ? Sed
& 4. expel'ere Princeps Catholicus potest sectarios , à tribus receptis in
Imperio religionibus dissidentes pacemque publicam turbantes , vi ju-
ris reformandi , licet nullā munitus ecclesiastica jurisdictione . Quæ
postremo loco addit Vir insignis , tām intricata sunt , ue mens ipsius
difficilis hīc sit captu . Sensus fortean fuerit , cùm I. P. jurisdictionem
ecclesiastica Protestantibus in subditos concedat catholicos , id quod
tamen fiat salvā religione Catholicā & Episcoporum in animas pote-
state , eandem quoque Catholicis in Protestantes esse tribuendam , vi
æqualitatis religionum in Imperio canonistarum mutuae art . f. § . 1.
Sed quid , si negaverit 1. dissentiens , I. P. jurisdictionem ecclesiasti-
cam Principibus Protestantibus in subditos tribuere Catholicos addi-
derit-

deritque, neque & eandem in hos sibi eosdem arrogare juxta art. 5.
 §. 48. in fine. Ita Hertius (u) & ill. Zechius (x) Nolim profectio
 hic urgeri art. 5. §. 26. cum & dispositio hæc planè singularis sit &
 per annum regulativum limitata, & jura magis territorialia & civilia
 inspectionis civilis, reformandi & Patronatū, quam jurisdictionem
 spectet ecclesiasticam (y). Scilicet, si anno regulativo & jurisdi-
 cionem ecclesiasticam in subditos Catholicos exercuerint Principes Pro-
 testantes, & exercendi jus habent semper juxta art. 5. §. 48. Quid,
 si 2. quis regellet, æqualitatem religionum exactam muruamque non
 esse *absolutam*, sed *limitatam*, quatenus nempe *forma Republicæ, con-*
stitutionibus Imperii & I. P. conformis sit juxta art. 5. §. 1. Itaque
 ergo non impediare illam, quod minus jurisdictione ecclesiastica à Principe
 Protestante exercetur in subditos Catholicos, licet vi religionis Ca-
 tholica à Principe Catholico exerceri neficiat in Protestantes. Sit hæc
 quædam Principum Protestantium prærogativa, quam mirum, haud
 diduci ab anonymo, qui de hoc arguento peculiare scriptit *πρωτη-*
ουδον sed valde macilentum (z). Ast & 3., observaverimus, latere
πρωταύτη sub hypothesi, quod Episcoporum Catholicorum *jurisdictione*
ecclesiastica in subditos Protestantium Catholicos, suæ olim dioceseos
 sit suspensa quidem, sed non *potesṭas* in eorum *animas*. Jam enim &
 I. P. distinctionem hanc profunde ignorat, quod verò lex non cantat,
 nec nos cantare debemus, & hoc sub involucro serpere clanculum
 ipsa illa jurisdictione, quæ tamen suspensa est, poruerit. Si ligatur *an-*
ima episcopali iussione, decisione, excommunicatione &c. ligabuntur
 sanè & personæ, exercebitur sanè & ipsa jurisdictione ecclesiastica, licet
 effectus ejus externus & civilis per potestatem Domini territorii civilem
 sufflaminetur. Quid ergo, inquis, vel tandem statuendum hic fue-
 rit? num suspendendum hic judicium vel ajendum, summos paciscentes

(u) l. c. f. 172.

(x) l. c. p. 185.

(y) Vide Boehmeri diff. de iuribus Statuum Protestantium circa monasteria Ca-
tholicorum C. 2.(z) sub titulo: Deutliche Vorstellung des Vorzugs eines Evangelischen Fürsten
 vor einem Catholicischen ratione-jurium circa sacra, apud Lünigium in sele-
 ctis scriptis illustribus f. 386.

tes non omnes casus prævidisse adeoque nec determinâsse? Ast relat modus compositionis amicabilis. Jam enim, quid vetat, quò minus in amica heic oscula dissententes ruant & subditis quidem Dominorum Catholicorum Protestantibus afferant plenum jurisdictionis ecclesiasticæ exercitum, non tamen nisi nomine & autoritate Principis Catholicæ, quem venerantur, atque ita exercendum, ut hic, ubi opus est, rebus & seculare suum commonet brachium? Fuere certè Principes Catholicæ, quies hæc placuit æquitas (a). Ita Elector Saxonæ, quod notorium est, Senatus ecclesiastico & Consistorio supremo Dresdensi plenam reliquit ecclesiasticam jurisdictionem. Idem egit Antonius Ulricus, Dux Guelferbytanus (b). Pressit denique horum vestigia, alios ut taceamus, Serenissimus nuper Princeps nosfer CAROLUS ALEXANDER, cuius egregias, mox sub intium regiminis factas heic declarations pacificas adhucdum pià mente veneramur (c). Quin ipsemet quoque doctissimus Banniza fateatur p. 56. *in pace Westphalicâ tantum de normâ tolerandi ac pacifice invicem convivendi fuisse cautum*, non ergo de jurisdictione ecclesiasticâ à Catholicis Principibus in Protestantes exercendâ. Num verò & Principibus Catholicis jus puniendi hæreticos competat, quod p. 57. 58. iplis tribuitur, & supra & in diss. de tolerandis vel non tolerandis in fidè dissentientibus satis superque ediximus. Quæ porrò p. 60. seqq. de secularisatione honorum ecclesiasticorum differuntur, transmitti poterant, ut heterogenea arque ad argumentum de tolerantia proflus haud spectantia. Paucis itaque heic exponemus, quid in illa deducione desideremus vel approbemus. Et i. quidem facilè concesserimus illam Viri docti positionem, quòd bona ecclesiastica non sint

secu-

(a) Confer hic Struvii Syntagma juris publici C. 26. §. 31. p. 1257. sqq. & Horningium l. c. p. 62. sqq.

(b) in edito die 27. Martii A. 1710. edito, quod exstat in Fabri Staats-Canzley P. 17. p. 191. sqq. & in den Unschuld. Nachrichten ad A. 1711. p. 147. sqq.

(c) Vide præprimis literas reversales ad Corpus Evangelicorum d. 27. Martii A. 1734. datas in Fabri Staats-Canzley T. 64. p. 181. sqq. recentitas, quies addendum quoque est rescriptum ad Collegium Confiliariorum intimorum Evangelicum sub eodem dato, quies jurisdictione ecclesiastica huic Collegio Consistorioque ecclesiastico plenarie fuit relicta.

secularisanda prorsus nisi in extremæ necessitatis casu , si legitimam saltem secularisationem in foro cùm soli , tum poli intellectam velit , ad diderim & 2. fieri id & posse & rectè fieri , si bona ecclesiastica sint nimia viresque status notanter minuant , ad superbiam & luxuriam ecclesiasticorum saltē nutritiā apta , secularisari & illa quoad usum fructū partiale (jam enim ante omnia alia ad conservationem Ecclesiarum & scholarum sustentandoque illarum ministros & pauperes & sufficienter quidem sustentandos adhibenda illa sunt ,) posse , si saltem reipublicā hoc experat salus & necessitas , si jubeant hoc subinde & pacta cum subditis , justitiā & æquitate hoc postulantibus , ut , quæ protectione adeoque securitate publicā fruuntur , ad hanc quoque conservandam consolidandamque pro rato concurrant , denique bona ecclesiastica Protestantibus in I. P. cessi & ex pacto cum subditis ad usus ecclesiasticos destinata adeoque separatim administranda Cameræ ducale incorporari non posse , sed & heic observandum esse annum decretorium . Ast 3. rejicimus Viri cel. sententiam , quā Clericos à jurisdictione civili jure divino , cuius tamen nulla allegat placita , quod & huic iustiæ prætensioni prorsus est contrarium , exceptos vult p. 62. & 4. vel maximè reprobamus illam assertionem , quā contendit , non dominium , sed usumfructū saltē bonorum ecclesiasticorum in I. P. in Principes & Ecclesiás Protestantes esse translatum , id quod ex limitatione illa pateat , donec controversia religionis amicabili partium conventione universali definita fuerint art. 5. §. 1. 14. 25. 29. 31. Este verò hoc saltē concedere usumfructū , cùm dicitur , quod restitutio bonorum ecclesiasticorum sit plenaria & pura art. 5. §. 2. quod tranquillè & imperturbatè possidere bona ecclesiastica debeat Protestantē art. 5. §. 14. quod in satisfactionem indemnitatēque ista concedantur & per omnia relinquantur §. 24. quod restituuntur unā cum reditibus , irritis quibuscumque prætextibus & rationibus in contrarium §. 25. & quidem plenissime §. 29. 32. hoc est , pleno jure , tām quod ad dominium utile , quam directum art. 11. §. 12. Ne verbulo quidem solius usufructū Protestantibus dati meminit I. P. quod tamen debebat prorsus fieri , si nudum usumfructū illud voluisset innuere.

De

De limitatione dictâ quid sentiamus, supra (d) diximus. Jam & cum Vir doctus ad argumentum de jurisdictione ecclesiastica p. 73. 74. relabitur & Principibus Catholicis jus ordinationes ecclesiasticas subditis præscribendi Protestantibus adscribit, & heic sufficere possunt, quæ supra (e) diximus, quemadmodum & , quæ p. 75. seqq. addit, ex supra positis facile diluuntur. At p. 77. nobilissima sed & ardua eadem movetur quæstio : num in Imp. Germ. præter tres canonifatas religiones nulla alia tolerari ullo modo possit debeatve ? Id quod Vir doctissimus affirmat vi art. 7. §. 2. ubi : *Prater religiones supra nominatas nulla alia in sacro Romano Imperio recipiatur vel toleretur.* Supra (f) quædam de quæstione à cel. Banniza mota : *num religio Catholica etiam tolerata dici debeat?* diximus. Videri possit hoc sequi ex nostro textu. Sed non sequitur, quemadmodum nec hoc, quòd religio Evangelica & Reformata in Imperio saltem tolerentur. Si una dicenda est tolerata ex tribus istis, singulæ, (ponuntur enim in eadem proorsus classe) tales dicendæ sunt. Pari quippe, ratione juris & exercitii in I. P. stabilitorum, passu tres hæ ambulant. Sensus est : *prater religiones supra nominatas*, quæ suè proprio jure in Imp. gaudent locumque tenent æqualem, *nulla alia vel recipiatur vel toleretur*, quæ idem jus, eadem privilegia sibi vindicet, idem exercitium publicum civiliter canonifatum firmatumque. Non itaque prohibetur aliis religionis tolerantia absoluè, non simplex, non gratioſa, tolerari enim & Judæos in Imperio videoas, & Anabaptistas (g) alicubi, & Separatistas & fanaticos, id quod jubet conscientie libertas, quam salvam quoque I. P. vult art. 5. §. 16. 34. 48. art. 7. §. 1. Certè hæc mens Protestantium est, qui clausulam à Catholicis suppeditatam alio sensu admittere haud potuere. Vide Stryckium (h) Henniges (i)

D

Bch-

(d) p. 9.

(e) p. 15. seqq.

(f) p. 12. 13.

(g) Velim hic distingui veteres, Monasterienses maximè illos, à novioribus. Jam enim illi dedere occasionem, ut ejusmodi sanctio jam pacem intraret religiosam §. 17. & recessus Imperii contra sectarios ejusmodi, pacem turbantes publicam conderentur. Id quod in noviores haud quadrat, homines pacificos & magistratus exactè parentes.

(h) de cautel. test. C. 3. §. 8. p. 80.

(i) in medit. ad I. P. p. 866.

Bachmerum (k) Treuerum (l) Fleischerum (m) & ill. Zechium, qui & contra Buckischium notat, tolerandam & esse religionem ex tribus canonisatis mixtam atque conflatam (n). Nolim itaque dicere cum Thomaio (o) Gundlingio (p) & Christiano Democrito (q), clausulam hanc, eandem ob rationem, quia à Catholicis sit suppeditata, non obligare Protestantes. Nolim & existimare cum Riccrunto (r) Titio (s) & Ludewigio (t), hunc saltem clausulae sensum esse, quod nulla alia religio receptionem & tolerantiam in Imp. Germanico prætendere possit & tolerari debeat à Domino; et si ab ipso possit recipi & tolerari. Nolim denique cum Hildebrando (u) questionem prorsus indecisam relinquere. Ast, ad quem, quæso, pertinet, judicare, quisnam vel Catholicus vel A. C. socius vel Reformatus sit? Num ad Principis, qui diversæ religionis est, Catholici maximè arbitrium hoc devolvitur? Si hoc, vereor, ne in periculum subinde veniat innocens. Metūs justi dabimus rationem, quæ stringit. Si penes Jesuitas Dillingenses (x) stetisset olim, dicendum fuisset, nullos amplius dari A. C. socios, cum ista Confessio Augustana, quæ Carolo V. A. 1530. fuit exhibita, tantopere juxta quidem illos in sequentibus temporibus fuerit variata, ut aliam prorsus formam sumiserit, succedente maximè Concordia formula, quæ nova fuerint adjecta dogmata. Quod ipsum opprobrium & Jac. Benignus Bossuetus Pro-

testan-

(k) in jure eccl. Prot. T. 1. p. 55. seqq. T. 2. p. 34. seqq. T. 4. p. 1022. 1023.

(l) in parergis Göttingensibus T. 1. L. 2. n. 2. §. 11. p. 46.

(m) in diss. de jure reformandi & emigrandi §. 25. p. 30.

(n) I. c. p. 327. 328. Adde Cranium de pace religiosa P. 1. probl. 14.

(o) ad Monzambanum p. 255. & im Fürsten-Recht, Sac 18. §. 6. p. 199.

(p) in dem DiCurs über den Westphälischen Frieden p. 423.

(q) in dem gel. Zeit. 1. Stück p. 34. seqq.

(r) ad Schützii manuale pacificum qu. 6. Riccruntus hic est Hieron. Brücknerus.

Jctus quondam Gothanus.

(s) in specim. Juris publici L. 3. C. 2. §. 25. & in jure priv. L. 9. C. 25.

§. 29. p. 1224.

(t) in Consil. Hal. T. 1. P. 2. col. 317.

(u) in diss. de anno decretorio p. 50. 51.

(x) in pacis compositione p. 45. seqq. 442. seqq. aliisque libellis.

testantibus in libro de variationibus Ecclesiarum Protestantium objice-
re haud veritus est. Rerum qui satis haud est gnarus , facile heic in
transversum agitur. Sed Dillingenses quidem egregie refutârunt Theo-
logi Saxonici (y) Bossuetum alii (z) sufficitque A. C. addic̄tis, eum illos
in rerum præfentia adhuc servare doctrina typum, quem tenuere, cum
pax Westphalica conderetur, art. 11. Osn. §. 11. Sed & sufficit, si, qui di-
versæ ab A.C. religionis insimulatur, à Consistorio Evangelico, vel Ecclesia,
cujus membrum est, vel Facultate Theologica, ad quam provocat,
repudetur Evangelicus sive A. C. addic̄tus. Sufficit denique, si saltem
essentialia dogmata A. C. sequatur , licet in sequioribus fortean dissen-
tiat, cum à potiori fiat denominatio. Egregie ita cel. Ickstattius,
Jctus itidem Herbipolitanus (a), cuius nobile & amoenum scribendi
genus plurimum exosculamur, ad Bchmerum (b) heic provocans.
Quum verò is & Hennigelium (c) & Schwederum (d) heic refellit,
vel ipse Vir clarissimus observaverit, præstantissimos holce Viros Prin-
cipi facultatem de hoc negotio cognoscendi haud denegaturos fuisse un-
quam, si saltem juxta Confessionum publicarum formulas & Consisto-
riorum nostrorum placita eā, quam laudavimus, æquitate heic pronun-
ciaverit. Ast è diverticulo revertimur ad cel. Bannizam, qui p. 78. seqq.
ad argumentum de puniendis civiliter hæreticis regreditur. Unicum est,
ad quod provocat , sacrum oraculum, ad Tit. III. 10. ita relatum à
Nostro : *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem*
de vita. Si ita Apostolus habeat , utique ipsius iudicio occidendi &
de vita tollendi sunt hæretici, id quod & ex his verbis ita positis arguit
Thomas Aquinas (e), arguerunt & alii, uti Erasmus ad h. l. habet.
Sed typographi istum errorem esse, duas voces qui malè, nec seriò, ut
arbitror, separavit, ex eo judicare est, quod ipse doctissimus Vir p. 81.
D 2. fate-

(y) in der Haupt-Vertheidigung des Augapfels C. 20. seqq. C. 38. seqq.

(z) Laudavimus hos in diff. nostra anti-Bossuetiana.

(a) in diff. de causis religionis à jure majorum exceptis §. 28. p. 44. seqq.

(b) in Jure Eccl. Prot. L. 1. tit. 1. §. 60. seqq.

(c) in med. ad I.P. art. 5. §. 52. art. 7. §. 2. p. 752.

(d) in diff. de jure eundi in partes §. 10. diff. T. 2. p. 146.

(e) in secundâ secunda quis XI. art. 3.

fatur, vocem παρεγγίλης idem esse ac *rejice* (f), addens, ex verbis his, cum non ad Principem politicum, sed Episcopum fuerint scripta, posse quidem argui, hæreticos esse increpandos & excommunicandos, non vero occidendos, licet ex evitazione injuncta ne quidem excommunicatione. quæ in Eccl. Rom. obtinet, sequatur. Hoc vero si ita habet, cur de pœnis civilibus hæreticis infligendis allegatur textus? Nec faciunt quoque ad rhombum verba Gregorii M. (g) quæ non de hæreticis sed de paganis agunt, licet nec hi vi ullâ convertendi sint, quod utique impositio pensionum quoque spectat. Certè, salvo I. P. hæc tela in dissentientes, quos hæreticos putes, vibrari nesciunt. Ad objectionem: *fides non posse cogi*, cum ita res ostendat p. 80. Vir doctus, ut ait, verum id esse quoad actum *internum*, non verò quoad *externum* h. e. *externum religionis exercitium*, paucis reponimus 1. cogi utique posse actum externum, sed hoc ipsum caput esse quæstionis: num recte cogantur in fide dissentientes ad profitendum id, quod falsum esse putant, coguntur enim sic ad nefandam hypocrisim, Deo omnibusque bonis jure merito exosam. 2. non inficiari nos, quod in fide dissentientibus exercitium religionis publicum privatumve plurimum pro rerum circumstantiis reltringi possit. Jam verò à denegatione exercitii religionis ad punitionem civilem vel capitalem nulla valet consequentia. Ast nec ista quicquam operatur ratio, quæ defumta est à jure Ecclesiæ per baptismum, quo hæreticus in illam fuerit ingressus, in hunc competente. Quid, si in Ecclesiâ hæreticâ baptizatus quis sit, num & illi competit hoc, quidquid fingitur, juris? Sed neque Ecclesiæ est, pœnas irrogare vel civiles vel capitales. Nec à pœnis civilibus olim ab hæreticis sumtis ad justitiam facti concludi posse ex eo liquet, quod divinis hinc, non humanis legibus vel factis standum est, ipso cel. Bannizâ vel tandem p. 85. ad oraculum Christi de zianii non extirpandis supra explicatum provocante, qui verò iterum p. 87. affirmat, dissentientem in fide, si sufficienter informatus sit, utpote pertinacem ad Ecclesiam compelli, vel emigrationem juxta I. P.

(f) accuratiūs verteris: nullam ipsius rationem habe.

(g) Epist. L. IV. ep. 26. ad Januarium Episc. Opp. T. 2. col. 704. edit. Benedict. Parif.

I. P. illi injungi posse. Reponimus ad 1. & heic nullum esse in argu-
mento nexus. Quicunque sufficienter h. e. prolixè informatus est,
ille, si informationi non cedat, est pertinax & obstinatus, adeoque
vitio laborat perversæ voluntatis. Scilicet, cùm fortiora credat ar-
gumenta, quibus de veritate fidei suæ convictus est, nulla heic perti-
nacia, nullum vitium in voluntate est, ne ipsum quidem hoc poenæ civili
subjacens. Prolixitas certè velsufficientia informationis eam hoc ipso non-
dum convictivam reddit, quod supponit, non demonstrat Vir doctus,
qui sanè idem responderit Protestantibus telum hoc adversus Ca-
tholicos vibraturis. Ad 2. in I. P. art. 5. §. 36. non exstare, quòd
emigratio illis, qui A. 1624. nec publicum nec privatum religionis
suæ exercitium habuere, injungi legitimè possit. Si, ita summi Pa-
ciscentes ajunt, à territorii Domino emigrare jussus fuerit. Nudum
supponitur factum, non approbatur, id quod dudum observavimus (h).
Reliqua, quæ in laudata dissertatione tradit Vir præstantissimus, planè
άλλοτεια cùm sint, & ad argumentum de toleratione non spectent,
facile præternavigamus. Quid si potius argumentis huc spectantibus
evolvendis operam commodasset Vir celeberrimus? Qualia sunt, quæ
omisit, de tolerantiae religiosæ effectibus civilibus, evolutis à Lyn-
ckero (i) Bochmero (k) & Estore (l), de jure reformati, ejus-
demque à jurisdictione ecclesiastica differentiâ, de simultaneo religio-
nis diversæ exercitio tolerando vel invehendo, de tolerandis ex pre-
scriptione talibus, utpote diu jam toleratis, de subditis à Domino si-
ve in politicis sive ecclesiasticis vehementer gravatis & arma contra
ipsum sumentibus, num beneficio pacis Weltphalicae in puncto reli-
gionis excidant nec ne, de modo agendi adversus illos, qui ipsius reli-
gionis Christianæ fundamenta vel directè vel indirectè adgreduntur,
eius lasciviæ triste nuper exemplum Interpres Scriptorum Mosaicorum

Werthei-

(h) in diff. de tolerandis in religione dissidentibus p. 21.

(i) in diff. de eo, quod justum est circa personas diversæ religionis sect. 2.

(k) in diff. de tolerantiae religiosæ effectibus civilibus, Hale A. 1726. edita,
& Juri eccl. Prot. T. 4. inserta.

(l) l. c. p. 174. seqq.

Wertheimensis dedit, & quæ ejusmodi sunt, heterogeneis relectis, unius ejusdemque dissertationis, prolixioris, uti diximus, non evasuræ, limitibus coercenda, cum paucis multa dici possint, si claris notionibus, si nervosa scriptio operam commodaverimus. Sed est utique suum cuique pulchrum, sua cuique methodus, subinde & merè arbitria, ad regulas logicas haud exigenda, quam carpere non patitur anarchia, quâ Republica gaudet literaria. Et sic quidem dissertationis nostræ vela jam contrahimus, eo in cel. Bannizam affectu calamoque moderatiore, nullo proflus felle tincto, scriptæ, ut ipsius quoque præstantissimi Viri, cuius tam vastam, tam profundam eruditioñem miramur & suspicimur, amicitiam nobis proflus conciliare sit apta, vel, nisi quidem egregiè fallimur, omnino conciliatura, id quod plurimum & exoptamus & expetimus.



COROLLARIA IN FUGAM VACUI.

I. Ecclesiæ primitive Doctores, qui ante Constantiū M. vixerē, uno eodemque ore & calamo conscientiæ libertatem & manantem ex eâ tolerantiam religionis defenderunt. Mutarunt vela subinde, qui vixerē in temporibus, quibus Christianismus evasit dominans. Sensim enim sensimque dissentientibus in fide definitæ fuere civiles poenæ. Non licebat, mutare mentem, solius conductibilitatis causâ, contra principia vetera eademque verè Evangelica.

II. Nescio, num Catholicæ in locis, ubi eorum Ecclesia est pressa, intollerantiae foveant principium, vel fovere possint ex regulis prudentiæ, propriis comodis consulture. Reftissime sanc & illi ad libertatem conscientiæ provocaverint adversus imperantes falsitatem religionis Catholicæ ipsi obvertentes.

III. Toleramus juxta notionem vocis grammaticam non saltem ingratæ, & injustæ, & mala, sed & indifferentia, imo & bona subinde tolerare dicimus. Videantur Lexicographi.

F I N I S.

Tübingen, Diss., 1736-40



f

TA → OL


nun 1 + 3 Stück verknüpft

WNB



B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

DISSE^TRAT^IO THEOLOGICA
EADEMQUE

JURIS ECCLESIASTICI

D E

Z I Z A N I I S

NON EVELLENDIS

ad Matth. XIII. 24. sqq.

SIVE DE

TOLERANTIA

IVERSARUM IN EODEM TERRITORIO

RELIGIONUM

adversus

cel. Viri JO. PETRI BANNIZÆ,

JCTi Herbipolitani

nuperam de hoc argumento dissertationem,

quam,

P R Ä S I D E

MIRISTOPH. MATTH. PFAFFIO,

Theol. Doct. & Prof. Primario, Acad. Tubing. Cancellario,

Ecclesiæ Präposito, Abbate Laureacensi

ad d. XVIII. Nov. A. MDCCXXXVII.

defendet

JOHANNES FRIDERICUS VOLZ, Dornstettensis.

TUBINGÆ impressit GEORGIUS FRIDERICUS PFlicKE.

10,000.

3.1501.

299

298

17372.

70

